

ad formas elementares; *a.* in hoc motu continuo plurima sunt varia stadia, quibus inferiores gradus vitae adhuc participantur, nec potest repugnare intrinsece ut corpus in hoc aliquo stadio producat aliquod ens hujus perfectionis i. e. vitae inferioris alicujus, quod jam pro se pergat aliquantulum vivere; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*spontanea non admittenda*). Lex communis generationis univocae evidens est, a qua nihil est excipiendum nisi probetur; — *a.* 1) experimenta, quibus ostenderetur generatio spontanea, non erant accurata; et melius iterata, nihil prodixerunt; — 2) in infusoriis (saltem plerisque) jam distinguuntur organa generationis, non raro satis complicata; unde sicut ipsa alia sui similia generant, ita et ab aliis sui similibus generata fuisse videntur; — 3) illa animalcula non sunt quoad organisationem omnium imperfectissima; unde neque primum gradum a materia mortua (vel a fortiori, inorganica) constituunt, neque ab ea immediate oriri videntur; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*evolutionis primitivorum*). Nullius est probabilitatis solidae hypothesis quae 1) praeter alias magis obvias, pro defensione causae excogitatur, 2) nullo facto positivo ostendi qualitercumque potest, 3) refragatur aestimationi omnibus hominibus naturali ratione obviae; — *a.* ita se habet haec evolutio germinum, quae immenso numero singulis viventibus actu inessent, et per generationem actu transmitterentur in hereditatem; *e.*

**Objic. 1<sup>o</sup>** Apparent viventia ubi germen penetrare potuisse non videtur, v. c. plantae microscopicae in ovo gallinae, cysticerae in cerebro ovis. — *R. d.* ubi nescimus quomodo penetraverint, *tr*; ubi probatur penetrare non potuisse, *n.* (talìa multa jam explicantur. Cfr. Van Beneden).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Determinata infusoria obtinentur ex determinatis infusionibus. — *R. d.* obtinentur semper, *n.* (cfr. Ehrenberg); ubi obtinentur, *sd.* quia ex germinibus in aere circumvolitantibus aliae species aliis infusionibus juvantur et foventur, vel impediuntur, *c*; secus, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Fuit tempus quo talis erat terra ut nihil vivum existere in ea posset, sed sola materia bruta; *e.* quae postea extiterunt viventia, debuerunt ex ea sponte oriri seu generari, sub certis faventibus adjunctis. — *R. tr. ant.* (ut hypothesis probabilis); — *d. cons.* si cum materialistis neges a priori omnem aliam causam, v. g. existentiam et potentiam Dei, *tr*; secus, *n.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Non propter nostram ignorantiam habemus jus provocandi ad causam extramundanam (quae per miraculum primos organismos condiderit); *e.* melius concludendum est ad spontaneam generationem primorum viventium, et forsitan multorum etiam nunc. — *R. d. ant. 1 part.* non propter nostram ignorantiam, *c*; non propter evidentiam impossibilitatis oppositae, *n.* — *d. ant. 2 part.* per miraculum, i. e. per operationem quae esset supra vires activas omnes materiae brutae solius, *n*; i. e. per operationem quae aliquid contra leges mundanas efficeret, et ad ordinem mundi non requireretur, *c.*

## CAPUT III.

## DE VITA SENSITIVA.

Eodem ordine de vita sensitiva, quo de vita vegetativa diximus, etiam ex effectibus ad causas procedemus, ita ut sit :

- Quaestio 1. De actibus et facultatibus sensitivis.  
Quaestio 2. De principio vitae sensitivae.

## QUAESTIO 1.

## De actibus et facultatibus sensitivis.

De actibus autem et facultatibus prius aliquibus praemissis generalioribus notionibus, postea singularum facultatum instituemus analysim, unde sint :

- Articulus 1. Notiones generales.  
Articulus 2. De sensatione et sensibilitate.  
Articulus 3. De sensibili appetitu.  
Articulus 4. De vi locomotiva.

## ARTICULUS 1.

## Notiones generales.

## Propositio 21.

**Bruta animalia non sunt mera automata, sed vera gaudent facultate sentiendi, appetendi, spontanee se movendi.**

**Stat. quaest.** 1) Contra Cartesium, Malebranche, etc. qui saeculo XVII censuerunt bruta non esse animata, sed esse machinas subtilissimas, arte a Deo praeparatas, quae mechanicis legibus tantum et ab extrinseco moverentur, vel a Deo movente qui perficiat quidquid in eis videmus.

2) Causa errandi Cartesio fuit quod inter sensationem et intellectionem non distinxit, ac quum in brutis intellectionem admittere non posset, negavit et sensationem. — Recentiores quidam ex eadem causa inverse concludentes rationem brutis tribuunt.

3) Exponit suum Cartesius systema (disc. sur la meth. p. 5. ch. 9.) : quando sanguis in motu suo circulatorio transit per cor, ibique calefit, jugiter ab eo separantur particulae quaedam aeriformes, quae sunt spiritus animales. Hi pergunt ad eum cerebri locum ubi nervi omnes in unum coeunt, ibique manent donec sub certis conditionibus excitationis ab organis profectae, a cerebro per nervos in musculos immittantur, quorum ope creant in capite, in pedibus, etc. varios illos motus qui cum maxima irregularitate peragun-



tur, semper tamen consentiunt cum adjunctis rerum externarum, videnturque determinari ex earum cognitione et appetitu.

**Notiones.** 1) *Bruta* hic intelligimus ea viventia corpora quae nec homines sunt, nec plantae ab hominibus dicuntur. De his tantum intendimus thesim probare quae certe apud omnes ut bruta habentur, v. c. cane, equo, leone; minime autem quaeritur de limite regni animalis.

2) *Sensibilitatem* hic intelligimus vim per immanentem apprehensionem sibi repraesentandi corpora externa, et ex tali apprehensione producendi immanentem eorumdem corporum appetitionem.

3) Sensibilitas apud recentiores varia significat, v. g. :

- a) vim reagendi etiam in bruta materia;
- b) vim experiendi gratum et ingratum;
- c) vim percipiendi etiam alia, sed corporea tantum;
- d) vim percipiendi etiam spiritualia quaedam, sed interna.

Unde dispiciendum est quid certi auctores per hanc vocem intelligant antequam eorum utamur auctoritate, vel sententiam impugnemus.

4) *Appetitus* hic intelligitur *elicitivus*, i. e. potentia se ferendi in bonum ut bonum, scilicet intentionaliter seu ex cognitione boni, non solum physice; illudque per proprium actum appetendi. — Appetitus elicitivus est vel sensitivus, qui solum sensum, vel rationalis, qui sensum cum ratione praesupponit.

5) *Vis se spontanee movendi*, i. e. non qualitercumque producendi motus locales etiam immanentes sicut v. g. in plantis; sed producendi in seipso immanenter motus locales ex praevia perceptione et appetitione rerum externarum. — Tales motus in animalibus inferioribus sunt solum dilatationes et constrictiones, in superioribus sunt progressionis motus.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non automata*). 1<sup>o</sup> Motus automatorum sequentibus legibus mechanicis reguntur : 1) perdurant donec vi opposita elidantur, — 2) non deflectunt a linea directionis nisi determinatione extrinseca, — 3) deflectentes servant mediam resultantem ex diversis vel oppositis viribus; — *a.* brutorum motus his legibus non subjiciuntur; *e.*

*Ad min.* Exempla sint : 1) Duo equi, germanus et gallus; jubente voce germanica stat prior, pergat alter; jubente voce gallica, stat posterior solus; jubente voce anglica staret neuter.

2) Canis e fenestra domini videns vocantem, non se praecipitem demittit, sed per scalas detortas descendit.

3) Fera venatori occurrens, gradum prius sistit, dein non directe regreditur, sed obliqua directione fugit.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Motus animalium pendent aliquo modo ab adjunctis externis rerum: *a.* res externae non sunt causae motuum animalis mechanice moventes; *e.*

*Ad maj.* Teste experientia, motus animalium semper servant in omni sua variatione aliquam consonantiam cum varietate rerum organa impellentium; *e.*

**Prob. min.** 1) Si res externae moverent animal mechanice, non mutatis adjunctis deberet animal non cessare a motu; *a.* ita non fit; nam v. c. cani jacenti ostende corpus pani simile, exsurgit et accedit, deceptus tristis recedit; ostende iterum : accedit forsitan; tertio : non amplius exsurgit.

2) Ex vehementiore organorum impulsione motus animalis vehementior esset; *a.* non ita est; nam v. c. canis ad domum quem longe cernit velociori impetu fertur quam quum eum prope intuetur; *e.*

3) Solae praesentes res movent mechanice; *a.* animalia moventur absentibus, v. c. ad stabulum, ad cibos longe dissitos; vel ex memoria vapulationis; *e.*

4) Si moveretur mechanice, brutum non posset congruam discretionem facere temporum ad nidificandum, ad nutritionis materiam eligendam, etc.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*sed facultate*). 1<sup>o</sup> Bruta habent organa ad sensationem idonea; *a.* natura (Deus) nihil facit frustra; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Bruta habent actum appetendi, quantum ex phaenomenis et effectibus ad causam debemus arguere; *a.* ubi actus appetendi, ibi et actus sentiendi, et facultas utraque (idem de locomotione); *e.*

*Ad min.* Bruta manifesta signa dant passionum; *a.* ubi passiones ibi et appetitus; *e.*

**Prob. 3<sup>o</sup>** Ex sensu communi bruta ab omnibus dicuntur sentire; *a.* in talibus sensui communi falsum subesse non potest; *e.* (Ifr. logic.).

**Schol. 1<sup>m</sup>** Motus spontaneus bruti in suis varietatibus aliquomodo consonat rebus; nam motus spontaneus in suis variationibus correspondet et proportionatur appetitui; *a.* appetitus proportionatur rebus prout conveniunt, vel non, fini animalis; *e.*

**Schol. 2<sup>m</sup>** Hinc patet modum convenientiae istum proportionari rebus, non solum prout praesenti animalis experientiae subsunt, sed etiam prout praeteritae suffuerunt.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Automata ea sunt quae moventur ex se et impressionibus receptis; *a.* bruta sic moventur; *e.* — R. *d. maj.* receptis et non perceptis, *c;* receptis et perceptis, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Thesis est : entia sentientia esse sentientia; *e.* tautologica. — R. *n. supp.* (bruta non definimus ab initio : entia sentientia).

**Objic. 3<sup>o</sup>** Potuit Deus fabricare corpora ut solum mechanice moverentur; *a.* entia non sunt multiplicanda sine necessitate; *e.* — R. *d. maj.* potuit... his viribus quae nunc in natura sunt, *n;* alias vires inducendo, *tr.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Diversae causae possunt similes effectus habere; *e.* actiones hominum (cognoscentium) et brutorum similes, possunt habere varias causas. — R. *d. ant.* diversae causae, dummodo sint effectibus proportionatae, *c;* secus, *n.* — *par. d. cons.* si causae istae sint capaces talium effectuum, *tr;* secus, *n.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** Organa brutorum non sunt idonea, nisi sint animata; *a.* de hoc quaeritur; *e.* — R. *d. maj.* complete idonea, *c;* incomplete, vere tamen, *n.*



## Propositio 22.

**Bruta carent intelligendi facultate.**

**Stat. quaest.** 1) *Intelligere* hic dicimus percipere immaterialia, praesertim universalia. Non autem inquirimus utrum talis facultas per se sit organica necne.

2) Inter recentiores multi non satis accurate loquentes, omnem facultatem cognitivam intellectum appellant. Quare quum brutis intellectum tribuunt, non hoc ipso nobis quoad rem, sed verbis tantum adversantur; nam multi affirmant essentielle discrimen inter humanum et beluinum intellectum; sed alii negant essentielle, affirmant graduale tantum. Hos ultimos impugnamus.

**Prob. 1°** Intellectus potest cognoscere: 1) relationes inter effectus et causas, 2) inter media et finem, 3) inter signa, etiam arbitraria, et res significatas; 4) ideas universales; — *a.* haec omnia non cognoscunt bruta; *e.*

**Prob. min. 1 part. (inter effectus et causas).** Quandoque habetur effectus molestus ipsis, estque obvia connexio inter effectum et causam, neque effectus potest tolli nisi tollatur causa: et tamen non tollunt causam, v. c. catenam solo hamo retentam non solvunt; nec possunt causam veram investigare ubi causa apparens est; et saepe effectum attribuunt rei quae evidenter non potest causa esse.

**Prob. min. 2 part. (inter media et finem).** In rebus obviis ubi unicuique intellectum habenti evidens est aptitudo alicujus rei ad finem, bruta tamen ignorant, v. c. igni nutriendo ligna obvia non injiciunt; adhibent constanter eadem media etiam in casibus ubi evidenter inepta sunt.

**Prob. min. 3 part. (inter signum arbitrium et significatum).** Ad summum discunt aliqua signa pro aliquibus rebus concretis, non pro universalibus, v. c. nullam linguam discunt vel inveniunt.

**Prob. min. 4 part. (ideas universales).** Nullam discunt linguam i. e. connexiones signorum cum ideis universalibus; judicia non efformant, quod patet ex modo operandi, et quia voces quas forte didicerint non jungunt in novas sententias; nulla habent signa ad ideas universales exprimendas.

**Prob. 2°** Intellectus potest: 1) perfectiora invenire quoad operandi modum; 2) supplere instrumentis defectum virium; 3) addiscere scientias et artes; — *a.* haec omnia sunt brutis impossibilia; *e.*

**Prob. min. 1 part. (perfectiora invenire).** Eadem bruta non melius operantur post multos annos quam initio; eadem species post multas generationes quam aevs praeteritis.

**Prob. min. 2 part. (instrumentis).** Quae per propria organa et membra non possunt, id ne teutant quidem obtinere per aliud; quae non possunt per operationem suam propriam, ad id nunquam plura bruta simul in unitatem actionis conveniunt (conveniunt quidem aliqua in unitatem operis totius; v. g. apes, formicae, castores, etc. sed non in unitatem actionis immediatae et subordinatae).

**Prob. min. 3 part. (scientias et artes).** Nihil curant de causis, nec de instrumentis ad finem, nec de conditionibus accidentaliter mutatis temporum et locorum.

**Prob. 3°** Si bruta aliquem haberent intellectum, perfectiorem haberent quam homo; *a.* hoc nemini placebit; *e.*

**Ad maj.** Conficiunt quaedam quae homo nullus imitari potest, v. g. cellulas mathematicae exactas apum.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo mens summa quam bruta in operando ostendunt non eis est tribuenda, sed auctori naturae.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Operantur animalia: 1) sive *ex instinctu naturae*, qui est determinatio et interna impulsio naturae cum aliqua cognitione sine deliberatione rationis. Nam teste experientia ad sua opera facienda bruta instructa nascuntur, nullaque indigent disciplina;

2) sive *ex vi collativa*, i. e. facultate qua comparantur plura sub una cognitione. — Haec facultas ab aestimativa reipsa non differt; quae duplici respectu considerari potest: a) quatenus sine inquisitione, et ex sola naturae determinatione, utilia et nociva discernit, et sic agit ut natura; b) quatenus cum inquisitione aliqua et collatione, utilia et nociva discernit; et sic agit ut ratio particularis circa particularia;

3) sive *ex disciplina* per habitum, quo ens inducatur ad agendum. Tota autem bruti educatio huc redit ut cum aliquo hominis imperio vel signo phantasma voluptatis vel doloris jungatur in bruti imaginatione, ac repetitis actibus firmiter imprimatur. Ergo quae didicerunt, magna ex parte homini tribuenda sunt.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo bestiae non agunt formaliter propter finem, nam media cum fine non comparant nec relationem illam percipiunt; cognoscunt igitur finem, et media, sed non formaliter seu reduplicative; et inde explicatur cur instrumenta nunquam fabricent.

**Objic. 1°** Bruta habent optimum agendi modum; *e.* quaerere et invenire meliorem nec possunt, nec debent. — R. a) *d. ant.* ordinario, *tr*; semper, v. c. ubi periculum aliquod mutatione vitari posset, *n.* — R. b) *d. cons.* non possunt, *n.* (intellectus varietatem aliquam inveniret); non debent, *sd.* ordinario, *tr*; semper, *n.* — R. c) *n. ant.* (non est tam perfectus modus, ut intellectus nihil addere posset).

**Objic. 2°** Bruta operantur artificiose; *a.* ars supponit intellectum; *e.* — R. *d. maj.* executione, *c*; intentione et inventione, *n.*

**Objic. 3°** Est similis effectus in brutis et homine; *e.* similis causa. — R. *d. ant.* similis simpliciter, *n*; secundum quid, *c.* (cfr. supra).

**Objic. 4°** Bruta possunt sibi phantasia repraesentare objectum absens, vel nunquam visum; *a.* hoc est universale; *e.* — R. *c. maj.* — *n. min.* (cfr. logic.).

**Objic. 5°** Cognoscunt relationes, ut patet exemplis. — R. *n.* (omnia expli-



cantur ex expectatione casuum similium, vi aestimativa, experientia, associatione phantasmatum).

**Objic. 6°** Cognoscunt injurias, beneficia; *e.* spiritualia. — *R. d. ant.* formaliter, *n.*; materialiter, *c.*

**Objic. 7°** Agunt propter finem; *e.* intelligunt. — *R. d. ant.* incitantur a fine materialiter percepto, *c.*; formaliter, *n.*

**Objic. 8°** Habent memoriam; *a.* haec includit reflexionem et intelligentiam; *e.* — *R. d. maj.* memoriam sensitivam, *c.*; intellectualem, *n.* — *c. d. min.*

### Propositio 23.

**Varia sunt externa discrimina inter regnum animale et vegetale.**

**Stat. quaest. 1)** Quaeritur quonam discrimine limes assignari possit inter vegetalia et animalia; distinguendo respondemus nunc, assignantes discrimina magis accidentaliter et exterius apparentia. Porro exteriora dicimus ea, non quod ad extra solum, superficie tenus existant, sed eo quod sensibus ea nos observare possumus.

2) Duae sint ad claritatem partes, non tam probandae quam exponendae: a) esse haec discrimina vera generatim; — b) non tamen ea intimam essentiam sed accidentaliter attingere.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (sunt discrimina).** 1° *Teste chemia*, elementa organica, quibus proxime componitur substantia organica, sunt in animantibus composita quaternaria (ex O, H, N, C), in vegetabilibus ternaria (O, H, C).

2° *Teste histologia*: a) cellulae seu organa maxime elementaria corporis organici, in animantibus sunt semper elasticae, in vegetabilibus mox fiunt rigidae;

b) organa ex cellulis oriuntur in animantibus per cellularum juxtapositionem, vel per coagulationem et fusionem, vel per secretionem cellularum: in vegetabilibus vero solum duobus prioribus modis.

3° *Teste physiologia*: totus animantium organismus ita exstructus est ut appareat subordinatio vitae vegetalis ad vitam sensitivam exercendam; et vicissim exercitium vitae vegetativae elevatum ac nobilitatum ex unione sua cum sensitiva, unde sequitur:

a) organa vitae vegetativae in animantibus esse diversae structurae ac in vegetabilibus;

b) et esse plura ac magis varia; quia  $\alpha$ ) alimenta multo longiorem et multipliciorem elaborationem magisque complicatam transmutationem subire debent;  $\beta$ ) magis speciales functiones dividuntur, et specialibus organis tribuuntur peragendae.

4° *Teste botanica et zoologia*: a) plantae quamdiu vivunt nova sibi jugiter efficiunt organa (folia, flores, ramos, radices); animantia certum sibi numerum organorum habent a natura, non mutandum; — b) plantae alimenta sua ex regno minerali assument, animalia ex organicis sive vegetabilibus sive animalibus.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (non intima essentia).** 1° Varietates illae non nisi materiam plantarum et animantium partem, scilicet corpus afficiunt; ostendunt varietatem potentiarum, sed illam non explicant neque potentias illas in unitatem principii reducunt; *a.* ita non ipsa essentia attingitur vel describitur; *e.*

2° Illae varietates clare ostenduntur de brutis et plantis superioribus, non item de infimis; imo contrariae ostenduntur exceptiones aliquae; *e.* non haec intima est essentia.

### Propositio 24.

**Propria et essentialis differentia, qua regnum animale a vegetali distinguitur, est sensibilitas.**

**Stat. quaest. 1)** Non dicimus sensibilitatem esse semper signum distinctivum pro nostra cognitione, sed esse objectivum discrimen essentiale ad quod omnia alia discrimina (appetitus, motus localis, diversa structura) ut ad radicem referuntur. — Etiam si lateat utrum in aliquo vivente sit sensibilitas; si adest, est animal; si deest, est planta.

2) Posset defendi ex sensibilitate reliqua fluere, sed sufficit ut sensatio reliqua dirigat, et ipsa ad alias actiones requiratur.

**Prob.** Illud constituit essentialiter discrimen inter plantam et animal, quod 1) est specialis gradus elevationis supra materiam brutam, — 2) est radix omnium facultatum quae in animali sunt, in planta desunt, — 3) est fundamentum totius diversitatis quae in motu vitali etiam vegetativo animalium ac plantarum est, — 4) est ratio etiam varietatis structurae organismi animalis ac plantae; — *a.* de sensibilitate haec valent; *e.*

*Prob. min. 1 part. (specialis gradus).* Cfr. prop. 4.

*Prob. min. 2 part. (radix facultatum animalium).* Hae facultates sunt appetitus et locomotio; *a.* utraque radicatur in sensibilitate; *e.*

*Nam:* a) appetitus est acquisitio sui objecti, expansio versus bonum; *a.* ut vivens possit quaerere objectum, expandere se versus bonum, debet prius illud cognoscere; et finis cur animalia possint cognoscere, est ut possint bona sibi conquirere; *e.*

b) *Motus localis* ideo fit ad objectum quia vivens hoc objectum appetit; *a.* ipse appetitus est ex perceptione objecti; *e.*

*Prob. min. 3 part. (fundamentum diversae vegetationis).* Sunt actus vegetativi: nutritio, augmentatio, generatio; *a.* hi propterea differunt in animali et in planta, quia in animali conjunguntur sensibilitati, non item in planta; *e.*

*Nam:* a) nutritio et generatio fiunt in plantis secundum adjuncta externa et ex forma naturaliter indita, secundum normam ex immutabili et continua naturae dispositione; in animalibus fiunt secundum appetitum internum fructificationis sensualis in gustu, odoratu, tactu, ex forma quam sibi animal ipsum dat: perceptione boni appetendi; secundum appetitum nunc exci-



tatum et bonum suum anhelantem, nunc post fruitionem jam bonum non quaerentem, imo horrentem.

b) *Augmentatio* habet sensibilitatem ut causam non quidem efficientem (nisi indirecte : cfr. de nutritione) sed ut finalem; *nam* non fit in omnes partes aequabiliter, ita ut mox impedirentur organa sensuum, neque nova usque organa efformat, sed certo numero data organa perficit ad usum sensibilitatis; *e.*

*Prob. min. 4 part. (ratio variae structurae).* Ideo datur talis aliqua structura animalis, ut possit simul functiones suas et vegetales et animales perficere, imo ut vegetales sensitivis subordinentur; *e.*

**Objic. 1°** In Zoophytis non est motus; *e.* non sequitur ex sensibili appetitu. — R. a) *d. ant.* non motus localis stricte dictus, progressivus, *c;* non late dictus, expansionis et constrictionis, *n.* — R. b) *tr. ant;* — *d. cons.* ubi existit non ex appetitu sequitur, *n;* ubi non existit, *tr.*

**Objic. 2°** Argumentum allatum ostendit sensibilitatem esse conditionem appetitus et motus localis, non ostendit eam esse radicem. — R. *d.* conditionem qualemcumque, *n;* conditionem necessariam et influentem (quod sufficit), *c.*

**Objic. 3°** Posset dari regnum inter vegetale et animale intermedium; *e.* non debet assignari discrimen. — R. *n. ant.* (inter contradictoria).

**Objic. 4°** Ipsa etiam sensibilitas non est essentia animalis sed est facultas ejus ac proinde accidens superadditum; *a.* ita non melius attingitur intima essentia quam per discrimina externa; *e.* — R. *d. maj.* sed facultas primaria quae sit ratio cur aliae facultates adsint, *c;* secus, *n.* — *d. min.* non essentia in se, *c;* non per id quod sibi maxime proportionatum habet, quodque eam maxime manifestat, *n.*

## ARTICULUS 2.

### *De sensatione et sensibilitate.*

Praemissa aliqua ipsius sensationis in genere inspectae analysi, quatenus haec cognitio est, proponendae jam ac discutiendae erunt singulae sensationis operationes et facultates : venient proinde

- § 1. De sensatione et cognitione in genere.
- § 2. De sensu externo.
- § 3. De sensu interno.
- § 4. De sensu intimo.
- § 5. De phantasia.
- § 6. De memoria.
- § 7. De vi aestimativa.

### § 1. DE SENSATIONE ET COGNITIONE IN GENERE.

#### Propositio 25.

**Sensatio est vere cognitio.**

**Stat. quaest.** 1) Sensatio potest spectari :

{ materialiter = impressio physica objecti in organum.  
 { formaliter = actus ipse vitalis, sensatio proprie dicta.  
 { subjective = quatenus est affectio subjecti (et est objectum sensus intimi).  
 { objective = quatenus est repraesentatio objecti.

2) Agitur hic de sensatione formaliter objective sumpta seu ut de actu vitali quo subjecto repraesentatur, i. e. fit aliquomodo praesens, objectum externum.

3) Affirmamus cum sensu hominum communi, cum scholasticis omnibus, contra recentiores aliquos, qui solam intellectualem perceptionem volunt vocari cognitionem.

**Prob.** Concedentibus adversariis intellectio est certe cognitio, ejusque elementa seu notae essentialia sunt : 1) ut sit actus vitalis, — 2) vitalis repraesentatio alicujus rei, — 3) ad quam appetitus agentis sequatur vel sequi possit, — 4) est abstracta a conditionibus materialibus et singularibus objecti, — 5) potest etiam attingere objecta mere spiritualia; — *a.* ex his notis 4<sup>a</sup> et 5<sup>a</sup> specificant cognitionem ut intellectualem seu spiritualem; tres priores sunt genericae cognitionis, et inveniuntur in sensatione; — *e.* sensatio est vere sub genere cognitionis, licet in alia specie quam intellectio.

*Ad min. 1 part. (specificant intellectualem).* Solius intellectus esse potest actus circa objecta independentia ab omni singularitate et materialitate.

*Ad 2 part. (sunt genericae...).* In omni cognitione 1) est *actus vitalis*; nam a) teste experientia, nisi subjectum sit activum, nullam habet cognitionem, sed mere passivum v. c. dormiens altum somnum, vel distractione complete ad alia detentum, nihil percipit; — b) nec tamen cognoscens actione sua objectum immutat, quod etiam saepe abest, vel omnino deest, sed seipsum immutat : *e.* immanenter seu vitaliter agit;

2) est *vitalis repraesentatio rei*; nam qui cognoscit facit sibi rem in seipso praesentem, iterata praesentia praeter rei praesentiam physicam propriam extra cognoscentem; unde dicitur rem concipere, intra se assumere; *a.* illa praesentia iterata nequit aliter haberi nisi ipse cognoscens rem intra se repraesentet, rei similitudinem aliquam in se efficiat, seipsum aliquomodo rei similem faciat; *e.*

3) sequitur *appetitus*; nam nequit existere illa repraesentatio ad nullum finem utilis; *a.* unicus finis excogitabilis est, ut haec repraesentatio appetitum moveat et per activitates varias subjecti dirigat ad hujus finem; *e.*

*Ad 3 part. (inveniuntur in sensatione).* Eodem jure et eodem modo de sensatione quacumque, ac de cognitione in genere dicuntur; quin imo nec aliter concipi potest vera sensatio; *e.*



## Propositio 26.

In omni cognitione, necessaria est objecti cum potentia cognoscente conjunctio, sive per ipsum objectum, sive per ejus vicariam speciem impressam.

**Stat. quaest. 1.** Specialius nunc attendimus ad cognitionem sensitivam, attamen vera est propositio de omni cognitione, nam argumentum generale est; nec proinde repetenda erit de intellectu.

2) Conjunctionis necessitas excogitari posset: a) ut cognitio inchoetur, b) ut perficiatur. Hic agitur de inchoatione.

3) Conjunctio fit: a) per ipsum objectum, quod ipsum in facultate existat; — b) per ejus speciem seu imaginem. — Hic non quaerimus quando unus alterve modus habeatur, sed tantum dicimus (contra Nominales, Scoticos, Ontologistas) semper aliquam conjunctionem requiri.

4) Species imprimi potest: a) ab objecto (ut in sensibus) sive immediate, v. c. in tactu, sive mediate, v. c. in auditu; b) ab ipsa potentia, sicut in intellectu.

5) Sensus ergo propositionis est: antecedenter ad actionem vitalem, requiri aliquam subjecti sentientis modificationem, ab objecto externo factam, quae potentiam determinet ad agendum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (necessaria conjunctio).** 1° Omnis cognitio est aliqua assimilatio cognoscentis cum re cognita; a. haec fieri non potest nisi conjunctione; e.

*Prob. maj.* Cognitio est repraesentatio, i. e. iterata quasi praesentia rei in cognoscente; a. haec fieri nequit nisi cognoscens assimiletur rei; e.

*Prob. min.* Si potentia cognoscens nullo modo conjungitur rei, non potest dirigi ad assimilationem faciendam hanc potius quam aliam, hoc potius quam alio modo; e.

**Prob. 2°** Cognoscens rem aliquo modo in se includit (agit immanenter); a. hoc non potest nisi eam aliquomodo acceperit, ac proin cum ea conjunctus fuerit; e.

*Ad maj.* Percipit, apprehendit rem; e. eam aliquo modo in se includit.

*Ad min.* Potentia cognoscens non habet rem ex se sola; e. simul ex objecto; a. ad hoc requiritur conjunctio; e.

**Prob. 3°** Potentia debet determinari ad aliquod objectum determinatum cognoscendum; a. hoc non potest sine conjunctione; e.

*Ad maj.* Potentia de se indifferens est ad hoc vel illud cognoscendum; e.

*Ad min.* Ab objecto, quocum potentia nullo modo conjungitur, nullam potest accipere determinationem; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (sive per objectum sive per speciem).** 1° Necessaria est aliqua conjunctio cum objecto; a. haec saepe nequit fieri per ipsum objectum; e. debet fieri per ejus vicariam speciem seu imaginem.

**Prob. 2°** Cognoscens habet rem aliquomodo in se; a. non potest habere materialiter res extra ipsum existentes; e.

**Objic. 1°** Res corporeae sunt per se ipsas sensibiles et cognoscibiles; e. non debent in sensu repraesentari per speciem vicariam. — R. d. ant. sunt sensibiles in potentia activa, i. e. possunt se manifestare sensui, c; in actu, sd. ipso solo facto quod existunt, n; si etiam per speciem suam in sensu objective existunt, c. — n. cons.

**Objic. 2°** Res corporeae sunt improporionatae ad producendam sui repraesentationem in sensu; e. — R. n; vel d. si omnia requisita in medio, organo, etc. adsint, n; secus, tr.

**Objic. 3°** Ex doctrina specierum sequeretur non corpora ipsa sed eorum imagines nobis subjectivas cognosci; a. sic sequitur idealismus; e. — R. d. maj. si species essent id quod cognoscitur, c; si sunt id quo cognoscitur objectum, n. — par. d. min.

**Objic. 4°** Species in sensu impressa seu forma intentionalis rei habet nobiliores modum essendi (magis abstractum a materia) quam forma naturalis existens in ipsa rei materia; a. sic effectus superat causam, et causa (res) est improporionata ad speciem producendam; e. — R. d. maj. nobiliores modum quoad suum esse subjectivum et reale, c; quoad suum esse objectivum et intentionale, n. — d. min. si causa adaequata esset sola res, c; si res simul et sensus eas recipiens, n.

## Propositio 27.

Sensatio neque impressio ab objecto in organo facta, neque sola receptio impressionis in potentia sensitiva est.

**Notiones.** 1) Sensatio spectari potest sub diverso respectu, et est a) passiva, in quantum dicit receptionem speciei sensibilis — vel b) activa in quantum dicit actum vitalem consequentem ad illam receptionem.

2) Impressio est modificatio organi materialis, qua materialis, ab objecto sensibili.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non impressio).** Mera impressio est mera modificatio materialis secundum leges physicas, in organo materiali, ab objecto producta; a. talis modificatio producitur etiam in organo materiali cadaveris, ubi certe nulla sensatio; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (non receptio impressionis).** Ista receptio esset ipsa impressio seu modificatio organi materialis, sed qua vivi; a. etiam ita nequit impressio esse ipsa sensatio; e.

*Ad min.* Talis impressio est actio transiens ab objecto in sensum; a. sensatio est actio immanens viventis sensitivi; e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo determinatio ab objecto proveniens, debet intrinsece afficere facultatem sentiendi, i. e. debet potentiam in toto suo esse, accidentaliter (non essentialiter) mutare, sicut accidens physicum mutat suum subjectum, v. g. calor ferrum; — nam potentia est de se indifferens seu intrinsece indeterminata ad actum; a. determinatio potentiae intrinsece indeterminatae requirit affectionem intrinsecam hujus potentiae; e.